



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De diuersis acceptionibus huius nominis Temperantia. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46132)

putatur nocivum, aut corrumpēs appetitu vincendi. Vnde cum bonum prius naturaliter sit, quàm malum: malum enim dicitur aliquid, secundum Aug. quod adimit bonū, vel nocet bono, operatio concupiscibilis quæ est secundum apprehensionem boni, prior est naturaliter, quàm operatio irascibilis quæ est secundū apprehensionē mali. Præterea primus in ultus à diabolo factus primis parentibus videtur fuisse contra temperantiā. Et in pugna Christi prima tentatio fuit contra virtutem temperantiæ. Prima etiā pars vitæ nostræ alluescit voluptatibus, quarum refrægnatio ad temperantiā pertinet. Propter istas causas merito temperantia fortitudini præponetur: & secundū hunc ordinem modò ostensum numeratur quatuor virtutes, super illud Matt. 23. Erant qui manducaverant, quatuor millia hominum. Gloss. quatuor, propter quatuor virtutes, quibus rectè vivitur, prudentiam, temperantiā, fortitudinem & iustitiā. Eodem etiā ordine enumerantur Genes. 2. in glo. super illud, Qui dividitur in quatuor capita. De temperantiā verò hoc modo dicitur. Primò dicitur acceptiones huius nominis, Temperantia, assignabuntur. Secundo descriptiones eius ponentur. Tertio ea quæ pertinent ad eius commendationem. Quarto agetur de partibus temperantiæ.

De diversis acceptionibus huius nominis Temperantia. CAP. II.

Notandum quòd nomen temperantiæ tripliciter accipitur. Primo pro temperantia in generali, ad quam pertinet cetera circa omne opus virtutis, ne quid parum vel nimis fiat. Ad eam pertinet moderari opus virtutis illo modo de quo loquitur Horatius: Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines: Quos ultra citraq; nequit consistere rectum. Sic sumere videtur nomen temperantiæ Bernar. in lib. de consideratione: Temperantiæ est, inquit, non solum iustitiæ, sed & fortitudini, & prudentiæ, modum imponere. Secundo modo dicitur temperantia virtus animi imperus non rectos cohibens. Sic sumitur à Tullio in prima Rhetorica. Tertio dicitur temperantia virtus animam regens circa delectationes corporales, siue circa delectationes quinque sensuum. Gloss. super Matth. 15. Temperantia est refrægnatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant. Et Aug. dicit temperantiā esse in coërcendis delectationibus pravis.

De descriptione Temperantiæ.

CAP. III.

Temperantia sic describitur à Tullio in prima Rhetorica: Temperantia est rationis in libidinem atq; alios non rectos animi impetus firma & moderata dominatio. Libidinem hic intellige cupiditatē carnalis delectationis. Alios impetus animi